



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Tuba Tragica, Seu Historiæ Horroris Plenæ Dominicis Per  
Annum Concionatorio ritu aptatæ, Quibus ad oculum  
ostenditur, quàm acribus pœnis flagitia proscindat  
scelerum Ultor Deus**

**Selhamer, Christoph**

**Norinbergæ, Anno Gratiaë M.DC.XCIX.**

Concio XXXVII. Dom. XII. post Pent. Latrocinans amicitia.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52721](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52721)



## CONCIO XXXVII.

DOMINICA XII. POST  
PENTECOST.

*Incidit in latrones. Luc. 10.*

## Latrocinans Amicitia.

(1) S. Hier.  
in c. 20.  
Matth.

A.  
Quæ  
hodie in  
Evangelio  
prostant,  
historica  
sunt.

(2) Adrich.  
f. 14. in  
Palæst.



Uod hodie in Evangelio proponitur, AA. nec similitudo est, nec parabola, sed veri nominis historia, ut enim S. Hier. (1) testatur, erat via illa quæ ex Jerosolymitana urbe in Jerichuntinam descendebatur, horroris & periculi plena, Stabat in medio *silva horrida dum, ubi plurima frondet arbor, & ingenti foliorum exuberat umbra.* Arduus collis pariter situm medium tenebat, cui forte castellum latronum nidum vicinæ aucupes imponebant; hinc eminus prospicere poterant peregrinos, quos bonis omnibus spoliatos, etiam plagis pluribus fauciabant, ut tam citò aufugere prohiberentur, donec suum in locum delata esset præda. Hebræicè dicebatur silva hæc *adomim* seu *locus rubens & cruentus*, sic ab humani sanguinis larga profusione cognominatus. Adrichamius (2) de hoc latronum receptaculo sic loquitur: *adomim locus est sanguinariis, frequentibus homicidiis & latrocinis infamis etiam posterioribus temporibus rem & nomen retinuit, aspectu horribilis, & valdè periculosus, quémque sine conductu nemo transeat.* A Jericho & ab Jerosolyma æquali ferè distantia, quatuor miliarium nostrorū intervallo discriminatur. Historia huic immorari non cupio, sed progredior more meo ad moralem sensum his vocibus conclusum, incidit in latrones. Nemo quærat hodie latrones istos in silvis, aut silvarum ferarumque lustris; prostant in copia omnibus panè in locis & compitis. Tantò pejus est, quod hi latrones nec agnoscantur, nec fugiantur. Simi-

Simulant se & pro fidelibus amicis, pro cordialibus sociis se jactant, venditant, interim si possunt, mox gulam involant, & incautos suffocant. Hic certè centies audias ingeminari; *fide, sed cui fidas, vide.* Morales quondam latrones nunc digitò meò sed obiter signabo, ut ultimò locò referendum tantò possim fufius producere.

Vox *latrones* latinis abbreviata vox est, idem, quod *latrones, qui latera stipant*, seu focii commilitones, qui alterius lateri hac de causà assistunt, ut alterum tueantur, eum verò tantò audacius aggrediuntur, quantò minus de fide ac perfidia sunt suspecti. Rectè omninò. Tales socii sunt maddidi fratres, gulones, siphones & prodigi ludiones; hos multi hodie pro intimis amicis proclamant, interim aliud nil sunt, quam tetri latrones. Ita pridem Martialis (3)

B.  
Morales  
latrones  
ubi que  
dantur  
quam-  
plurimi.  
Tales sunt  
lufones  
& bibones  
focii.  
(3) Mart.  
l. 9. ep. 15.

*Hunc, quem cœna tibi, quem mensa paravit amicum,  
Esse putas fide pectus amicitiae?*

Dicere vult Martialis, hanc ollarem amicitiam vitreo fundamine nixam multoties fallere & ab amici legibus resilire. Crepat quidem amores aureos, sed cum ultra carnem non excurrat, nulla est. *Aprum amat & millos, & sumen & ostrea, non te.* Quamdiu cum illis ore insatiabilis gurgis dapibus indulges, totòsque vinò spumantes cados evacuas; quamdiu cum illis solidos dies ludendo extrahis, tamdiu laudibus extolleris, & mille obsequiis splendide fovetis; at dies dicatur gulosissimæ sodalitati; tollantur commercia bursæ noxia, totique urbi scandalosa, hic primùm videbis, tot insidias non tibi sed bursæ tuæ structas esse, sumen quærebatur tuum, tē relicto, nunc verò versâ in pejus aleâ, te tanquam heteroclitum & infidum fratrem odî infectantur vatinianò. Opt. AA. si compositio aliud non est, quam prædatio, latrocinatio, nemo sanæ mentis vitio dederit si combibones dixerò latrones. Quid ergò est compositio passim recepta? *Potatio ad ebrietatem est pœna gravi & acerba dignissimum scelus, quod in homine Dei sacerrimam imaginem vitiat, incestat; quod vitam corporis averruncat & anima; quod in subitanam mortem gulosos præci-*

(4) S. Aug.  
ser. 232. de  
temp.

precipitat; quod hominem ebrium orco & diabolo transfert. Hem bestialis gulæ ac potationis definitionem, unde ut oculus pateat, quam efferos agant latrones tui poculare focii, tui fumivendi & tabacarii fratres, qui te non vitæ tantum temporanea emungunt sed & sempiternâ. At definitio ista modica periphrafi expolatur, ut tanto promptius apprehendatur. Dicitur optimo jure omnis impia compotatio *scelus*. Dicere debui scelus omnium scelerum parentem, omnium scelerum synopsis, malorum omnium iliadem. Sic certe de hoc scelere palam perorat (4) Aug. *ebrietas blandus demon et dulce venenum, grande peccatum; quam qui habet, seipsum non habet; quam qui facit, peccatum non facit, sed ipse totus est peccatum.* Quasi dicat Aug. in homine ebrio nihil penitus boni est, quia merum scelus est, omnium scelerum brevis syllabus & compendium, diverforium, & ultimum complementum ut sic. Ita quoque *pæna gravi dignissimum* scelus est, quod contra Deum & proximum, contra rationem propriam ac seipsum ebrius gulo petulanter committit. *Contra Deum* quidem, quia toties prohibet hanc bestialitatem, eamque in Sodomitis unâ cum libidine sulphurea pice extinxit. *Contra proximum*, quia sæpè per pipposos conjuges uxores ac liberos in summam pauperiem & ærumnarum abyssum devolvunt. *Contra alios vicini*, quia frequenter ab effervis siphonibus grandibus calumniis onerantur, plagis & vulneribus obruantur. *Contra rationem*, quia hæc acerbè læditur enervatur obfuscatur & tumulatur; unde rectius inter bestias ebrius lurco collocetur, quàm inter ratione sua præditos collegas. *Contra se ipsum*, quia se ultrò in perdicionem hic & ibi deturbat. Porro dixi, hóc flagitiò *Dei imaginem in homine gravissimè vitari*, quia hæc potius in mores abit brutales. Si alia ratio non sit, quæ diflet & profliget ebrietatem, hæc una sufficiat. Dei imaginem conculcari, quam & in corpore & in animo homo circumgestat; corporis destructionem experientia probat quotidiana, animæ tanta fortè non esse creditur, quia non videtur; interim & hanc tanta desolationis abominatio corripit, ut ne quidem animæ brutali; ne dicam humane angelicæ, valeat comparari. Statue tibi ob oculos ebrium gulo

gulonem; mores & actus ejus explora; fateberis, nifallor, me nimis parcum fuisse in ebrui descriptione. Sensus ejus & intellectum si lustras, nulla est bestia sub sole, quæ non plus habeat prudentiæ & sensualitatis quam ebrui pepo. Mores ejus ac ritus agendi si exploras, nullus morio tam absonus erit quam talis Epicuri de grege porcus, imò nullus porcus ita sordidus est & fœculentus, quam ebrui stolprio; neque enim una tantum ex parte, nec uno ex latere, nec uno ex loco, sed ex omnibus locis & poris contra naturam & præter naturam, velut pessimè fœtens Patrocli olla, horridas sordes & execrandas fœces protrudit non sine gravissimo damno vegetæ sanitatis, cujus veri sunt latrones tam in se quam in aliis, quos grandibus urgent culullis. Hanc bestialem gulam multi tamen ita avidè sectantur, ut ne quidem frænum gulæ velint injicere, morte ipsa ponè tergori hærente; hinc gloria & honore, fide ac fiducia, bonis & fortunis, vita simul mortali & immortalis frequentissimè per ebrietatem expilantur. Alia passi mala, quæ sua incunabula debent ebrietati, numerum superant arithmeticum, jam alibi obiter & perpauca signata. Ah! quid non sobrii ac pii homines has inter brutales feras patiuntur! væ prægnantibus feminis, quæ tales noctæ sunt societas; cujus vivax exemplum primùm nuper adduximus. Quoties uterò conclusi infantes antè vitæ excidunt, quam lacticos Baptismi fontes attingant? Sic uxoribus & liberis multoties vita truncatur, quam cum sibimetipsis quoque distitit & depopulentur, accelerando mortem subitanam & repentinam, jure illos *latrones* dixi, qui nec sibi parcant, sæpius in crapula feræ instar crepare deprehensi & exspirare; unde porro illo solenni epitaphio latinè fabricato decorari mereantur singuli: *Hic propter bipsit & bapsit, in tumultum lapsit. Sicut vixit, ita moritur sine lux, sine crux, & sine omni D.* *Requiescat in pice!* quis enim locus aptius congruat his bibosis vitæ latronibus, his rapacibus bursæ prædonibus, quam modò sit per præsens epitaphium descriptus, interminabilis avernus, ubi toties potata salus ex liquefacto plumbo ac pice totis cadis refunditur. Crapulam suam ad usque supremi Judicis urnam repentinò extincti deferant?

nihil in illis sua ex imagine Deus videt; nihil in illis ex ratione humana deprehendit; id quod in illis reperit, aliud non est quam bestialis sordities, diabolica præsumptio, immanis horror, inhumana fœditas insanus furor, teterrima mephitis, & utriusque vitæ barbara & truculenta latrocinatio. Cœlum utique pro tam irrationabilibus feris conditum non fuit, sed pro piis, sobriis, & sua ratione prudenter ac providè utentibus veri nominis hominibus. Nullum illi dolorem, nullam contritionem à morte in dolio præventi, Deo Judici offerri possunt, quia totam rationem suam poculis & culullis suffocaverunt, multò minùs Deum implorare possunt, quia mentem suam nullo salubri cogitatu sursum valent extollere. Status, in quo fœtentem animam exhálant, sceleratus est & inhumanus, quia summam Dei offensam & aversionem importat. Status, in quo hinc emigrant, perditus est & damnatus, quia ebrii sua in crapula extincti rectà in orcum fluunt, ut inter orcinos lemures contractos in vivis strepitus edormiant. Rectè proin omnes hi *latronibus* accensentur, qui se & alios per immodicam potandì ingluviem subvertunt. Tollantur à medio hi truculenti vitæ latrones, suis ab officiis & honorum trabes temulenti laverniones degradeatur; opam ac fortunarum, hæreditatum & patrimoniorum pessimi dilapidatores, lucri & salarii heluones suis à magnatibus exauctorentur, patebit sanè quã celerem fugam sit undique ebrietas captura, ut locum fugientis sancta expleat sobrietas. Hi gulæ ministri, ut crapulam suam altero in orbe exhalaverint, ipsos arguent præpositos Proceres & Magistratus: fuisset, qui nos sermone moneret, castigaret, & acerbis pœnis mulcicaret, non omnis correctio in vanum abiisset; cum autem hi ipsi ad urnam sedentes Radamañthi præviò exemplò suo ad porum singulos extimularent, nos etiam subinde ad immodicos haustus latronum more cogerent & inflammarent, æquum est, ut cum subditis Domini fame ac siti canina plectantur in orco, quod nostris omnibus à cervicibus Clemens Deus avertat! Qui de his latronibus plura scire gestit, adeat sam Dom. post Pasch. Tub. Ech. Dominicam 2am post Epiphaniam Tub. Trag. item Dom. 6am post Pasch. Tub. Trag.

Ut video, nimis proluxa crisi ebrios lurcones pexui. Ad hanc bibonum classem etiam reduci debent perfidi lufores. Incidat quis in lufores istos, verè de ipso enunties tritum illud: *incidit in latrones*, incidit in prædones, qui eum ad usque interulam & indusum expilent. Ubi hoc hominum genus toleratur, nemo miretur, si picæ manus cives inter & inquilinos, incolas inter & accolas multiplicentur. Ludendo fures domi & in foro, imò etiam in choro ennutriuntur. Lusum qui perdidit, lucra sua requirit quocunque modo; nihil habet quod ponat, cistas lustrat, bursas visitat alienas, ut spiritum expleat ludendi. S. Bernardus (5) refert, fuisse hominem, lusui tam enormiter immersum, ut etiam uxorem suam exponeret, hâc perditâ, etiam dentes suos prostitueret; his pariter dilapidatis, ore vacuo domum erat lusori remeandum. Novi locum, ubi ruralis Amyntas binos equos, quibus lignum vexerat, impio lusu amisit, insuper currum suum, pileum & collare suum, ut nihil ei præter funem remaneret, quò se urbem egressus proxima ex arbore suspenderet; hoc nunquid est latronem agere, prædari, depopulari, furari, latrocinari? hæc tollere, hæc proscindere & funditus extirpare, iterum magnatibus incumbit, Reip. Capicibus, rationem reddent conniventæ suæ summo Deo in novissimo die.

C.  
Tales sunt  
lufores  
focii.

(5) S. Bern.  
Serm. 47.

D Bernardus locò recitatò adhuc aliam latronum classem manifestat, quos nec ut latrones agnoscimus, nec timemus, sed potius prensamus, & omni cultu prosequimur. Si qua estrons femina, bellè compta, luxuriosè vestita, fucato vultu picta pellex, meretricium in morem collotenus nudata lupa, quoslibet incautos fallere docta viros puella &c. oculos incurrit Bernardi, mox ille altùm exclamare auditus est: *latrones, latrones!* & quem expilare, quem spoliare, quem trucidare quarunt latrones istæ? apud insontes & vitæ inculpatæ animas gratiam Divinam, ut carnalibus desideriis oppletæ, lascivis obturibus succensæ, verum Deum suis è præcordiis asmodæo totum pectus habitandum committant, & jacturam salutis contrahant sempiternæ. Hanc latrocinandi rationem digito tantùm attigero; memini enim me hoc *latro-*

D.  
Tales sunt  
procaces  
femellæ.

- num genus hac ipsa Dom. Tub. Anal. Hist. sub hoc ipso titulo: *latro femina exagitasse.*
- (6) Mich. 7.  
E.  
Tales sunt amici.
- (7) Cic. Orat. pro Cn. Planc.
- (8) Lact. Instit. Div. l. 4.
- (9) Phil. ad Decal. præc. 4.  
(10) S. Ambr. in c. 19. Matth.
- (11) Quintil. declam. 9.
- (12) Tiraq. in l. si unquam in præf. num. 7. c. de revocat. donat.
- (13) Ag. 5.
- Si ex Michæa quæram, quis adhuc latronis insignia circumferat? digitò signabit amicos, consanguineos, domesticos & parentes, *inimici hominis (6) domestici ejus.* Id certè ævò ita malitiosò nec novum nec rarum est. Legatur prima Dom. post Epiph. Tub. Anal. Hist. fatebuntur omnes, optimo jure illi Dominicæ datum esse hunc titulum *Noverca consanguinitas.* Major amicitia & consanguinitas non datur, quam illa quæ parentes inter & liberos intercedit; hinc Cicero (7) voluit, ut liberi patrem tanquam Deum, & matrem tanquam Deam suspicerent. Lactantius voluit, (8) ut eorum voluntates, annutus & oculorum nictus, pro divinis oraculis liberi reciterent. Philo Hebræus (9) voluit, ut parentes suos tanquàm terrelli Deos liberi honorarent. S. Ambros. (10) nequidem pati voluit, ut liberi suos parentes hispido & indignabundo vultu aspicerent. etiam tua causa æqua fuerit, & patris tui iniqua, *noli contumeliam cum eo,* inquit Quintil. (11) *sat plena ratio est, patrem velle.* Tiraq. (12) observat, *nullus amor vincit paternum, & nullum consilium melius quàm patris pro filiis.* Hactenus dicta desiderantur, ut sensus sit, parentes utique tanquam juniores Deos amandos esse, non tamen plus quàm Deum, nec contra Deum: eorum etiam observandos esse & explendos, quousque in votus aut imperia consona sunt imperio ac præcepto Divino: secus si accidat, dicendum quod Petrus (13) Summis Sacerdotibus occinuit: *obedire oportet Deo magis quàm hominibus;* ne aspero vultu obeantur, ne verbò aut factò violentè ne cum illis rixosè disputetur, nempe quamdiu nihil desiderat quod Deo adversum, quod peccaminosum est. Amor eorum utique summus est, consilium illorum est optimum, si tamen amorì Divino non præponderet, aut eidem contrarietur; consilium puro ex corde in Deum & liberorum aviternam salutem procedat; si autem cæcus esset amor eorum, quo liberos suos depercut, simiæ instar suos amplectendo necarent. Cæcus amor, simiæ amor est, quò liberos suos in omnem luxum & luxuriam educant, eos ad omnes choreas & cœventricula dimittunt, eos lusum & ludendi dolos edocent, et



ubertim pecuniis instruunt, eos gulæ assuefaciunt, eos pro  
 habitu liberè grassari, græcari, & procarî permittunt &c. hos  
 non parentes dixeris sed *latrones*, quibus se liberi totis viri-  
 bus opponant. Ah! nullos hujusmodi parentes liberi hõc  
 ævõ sortirentur, tantâ certè malitia præsens ævum non  
 fordesceret. Dicite quæso, quæ causa est, cur tanta hodie  
 pravitas hominum totum per orbem grassetur? quod in Echon.  
 Tub. Dom. Quinquag. dixi probavique, adhuc dico, & quod  
 dictum est, hodie repeto: tantæ pravitatis causa sunt paren-  
 tes & magistratus. Hos inter justitia dormit vindicativa, quia  
 ipsi subinde pari scelere, quod castigandum est in aliis, sunt  
 contaminati, illi contra Deum ac Divinã parùm curant, omni  
 pietate vacui, sacri timoris expertes, in omnem audaciam,  
 gulam, petulantiam effusi &c. quid à tam discolis parenti-  
 bus proles hauriat, quam domi forisque mille replent scanda-  
 lis, quam secum in ganeas ducunt & popinas, ubi nil boni  
 vident, audiunt; quam luxuriosè vestiunt, ut fascinent incautos;  
 quam in omne libertatis aucupium devolvunt; quam  
 omnem bibendi & lurcandi docent pravitatem. Ait Æneas  
 Sylvius (14) postea summus Pont. hujus nominis Pius 2dus & (14) Æne.  
 palam fatetur, se magni nominis & primæ autoritatis Virum Sylv. Com.  
 nòsse, unà tamen in folio regali bibofissimum lurconem, qui in Panorr.  
 rectius dici debebat propriæ sobolis truculentus latro. l. 1.  
 Mæra sanè & dolenda res est, grandibus Urnis admoveri  
 homines vel in gulam vel in venerem petulanter effusos, qui  
 non nisi sodibus liveant pari genio instructis. Vir ille, de  
 quo Æneas meminit, media nocte suo è lecto surrexit,  
 potandi libidinem pro more, valido haustu extincturus. Ex-  
 haustò grandì poculò filii sui altum dormientis lectum accessit,  
 eoque parem haustum obtulit; cum autem somno mersus, ore  
 diducto nil responderet, vinum parens ori patulo infudit;  
 cum desuper uxor quæsta in herum acrius exurgeret, bestia  
 hæc sequens formavit conclusum: ergò filius iste meus non est,  
 sed à te ex obliquo per immane adulterium conceptus, quia  
 mecum non vult mediã nocte cados & cyathos evacuare.  
 Hem latrones parentes, qui carnem & sanguinem suum tam  
 horridè tam impiè primis etiam annis baccho immolant &  
 obtrun-

Yy 3

obtrun-

obtruncant! ita nimis frequenter verificatur, quod præter Evangelion decantat: *incidit in latrones*. Hic filius hæc filia nacta est latronem patrem, latronem matrem, qui liberos suos bonis omnibus infantis animæ despolient, se unâ & illi vitâ privent æternâ. Vultis hujus farinae patrem coram intueri, paucis excipite, quod suis quadragesimalibus exemplis de prodigioso Dei digito fusè inferuit ferventissimus penitentia præco (15) Bisselius.

(15) Jo.  
Bissel. in  
Dig. Dei.  
f. 195.

E.  
Ultimum  
hoc asser-  
tum  
tragicè  
exemplò  
fulcitur.

Livonia vulgò *Lifland* provincia est ad mare Balticum sita, hodie juris Polonici & ditionis; Prussia vel Borussia vulgò *Preussen* / ultima Germaniæ Regio est, nunc Brandenburgico Marchioni & S. R. I. Electori subiecta. Has inter duas Provincias alius jacet principatus vulgò *Churland* & Curlandia dictus; in hoc Ducatu fluvio *Mas* vulgò *Mantow Flus* ad sita urbs celebratur, nomine *Mittau*, quam *Fingus* vir doctus & dives incoluit. Hujus uxor enixa est inchoata formæ puellam omnibus naturæ dotibus à Deo liberaliter instructam. In educatione proba filia hujus omnem lapidem movit mater, pater nullum. Mortua matre, simul etiam omnis cura & sollicitudo filiam piè educandi evanuit. Pater mansit viduus, ac rei domesticæ curam filia suæ commisit, quâ etiam ut œconomâ usus est tribus annis; his jam paucis dilapsis, decimum septimum ætatis suæ annum ingressa patri suo fideliter quæstus est, se uteri tormina sentire, & crebra patris deliquia, stomacho cibos nauseante, nescire se mali gravem medicinam. Novit ociosus pater, quò tenderent quærelæ, & in omnem partem anxius inquirat, quò mediò grandibus malis & probris maturè possit obviari; occurrit tandem consilium consultori pessimum, quo expleto grandem unâ stulticiam notam contraxit. Vir tam sapiens, tam literatus adit Senatum, palàm quæstus, filiam suam jam à multo tempore pravum procorum commerciis innodatam, patris monita constantè elusisse, acrius ex officio per ipsum castigatam etiam minus & probrosissimas vindictas patri suo intentasse, cum ergo ipse pater oleum & operam perdat in seria correctione, & ex pravum hæc commercii toti familiae grandis infamia timeatur, hæc patri suo rebellem filiam Curia castigandam committi; roga-

re se proinde, ut antè carceri mancipetur, quàm fugam capeſſat,  
 & per juratas obſtetrices probè diſcutiatur, an non execrabilem  
 fœtum uterò ferat ſceleſta. Stupent ad aëtoris cauſam filia  
 propriæ intentatam Senatores; ut plurimum enim ſuarum  
 peccatilla & leviffimos nãvos parentes tegunt, occultant, ex-  
 tenuant & excuſant. Accepta tamen fuit præſens cauſa utut  
 eſſet paradoxa; incarceratur filia & examinatur; falſa eſt ultrò  
 probum ſuum, at ſimul palàm aſſeruit, fœtus, quem uterò ferret,  
 ſe patrem alium non ſcire, quàm proprium parentem Fingum.  
 Compellatus de fatali commercio pater, mox dicta repetiit:  
 nunquid Domini mei pridem prædixi, vindicaturam tot pia in  
 me monita rebellem filiam; nunc, ut video, totum virus in patrem  
 evomuit. Stupuit utique Senatus, & vix capere potuit, virum  
 tam prudentè, tam doctum in tam enorme ſcelus ſua ſ dignam  
 pravitatem dilapſum eſſe; credebat potius puellam cœco furore  
 accenſam locum rancori dediſſe & vindictæ, ut patrem reum  
 proclamaret. Stabat ex parte patris tota pænè urbs, filiam  
 deteſtata, quòd patrem morti traderet. Audita eſt pars utra-  
 que iteratis vicibus, patre conſtanter filiam execrante & ſcelus  
 pernegante, filia viciffim totum commercium in patrem de-  
 volvente, fecit hæc cauſa Senatum ita perplexum, ut neſcirent,  
 quæ ſententia eſſet hoc in rariffimo caſu formanda. Interim  
 prægnans filia in carcere uterò ſoluta, infantem peperit, ſed jam  
 mortuum, quem identidem patri ſuo Fingo adſcripſit. Poſt  
 exhaustos puerperii menſes factum eſt à Senatu concluſum ſed  
 corruptum, utrinque filiam conſtringens: ſic arguebant contra  
 puellam: vel verum eſt, quòd de patre ſuo toties examinata  
 purgit filia, vel falſum? ſi verum eſt, mortis ſupplicium unà cum  
 patre ſuo meretur. Si falſum eſt quòd allègat, iterum mortis  
 pœnam meretur, quia tam immanis flagitiū proprium patrem  
 eumque inſontem infrunitis auſibus inſimulat. Sic ad gladium  
 damnata eſt puerpera. Ante fatalem ictum ultimò ac feridè de  
 infantis patre compellata, iterum iterumque Fingum patrem  
 produxit; aſſerto etiam immortalis fuit, capite per carnificem  
 truncata. Quò anima migraverit, Deus ſcit. Jam pœnas  
 dedit ſeu inceſtus ſeu mendacii filia, neci data. At quid patri  
 actum? nihil illi ſua in captiva ſolitudine de ſententia, nihil  
 de

de fato filiae irrogato resciebat. Paulo post necem filiae illam patrem suo in carcere Judices revisunt, unaque per fenestram in patentem plateam prospectant, variis de rebus colloquia cum captivo miscunt; alia inter sermonis objectum etiam facta est filia jam capite plexa; narratum admodum quae in eam Senatu detorta esset sententia, ut nempe noxium caput et humeris tolleretur. Sic Iustitiae legibus uniformiter iudicatum esse. Hoc iudicium rite iudicatum cum Fingo probarent, hic se constanter innoxium proclamaret, en subito per plateam à quatuor tumbae bajulis nigro velo amicta sandapila transportatur; quaerit captivus, quod funus esset & unde tam repente vix posuit quaestionem Fingus, eam ocius à Iudicibus respicit videt Fingus, Filia est tua, inquiebant illi, modò capite mutilata & haec, ut scias, suo veteri asserto immortalis est, te nempe patrem esse & seductorem filiae tuae. Necdum rite has voces protulerant, jam mordax conscientia rei latronis ita furere accipit, ut sui ulterius impatiens, altum exclamaret: ô filia mea charissima, ubicunque jam anima tua commoretur, jam tandem fateri cogor, quod hucusque tam pertinaciter negavi & ejuravi! ego ego latro sum ille, qui te necui & infantem te ego te in execrabilem incestum, nunc etiam in teterrimum mortem praecipitavi &c. Sic palam fassus singula se ultro Iustitia obtulit enecandum, id unum precatus, miti sententia reus propter plecteretur. Fuit sane mitis & tanto scelere minimè commensurata, quia pari cum filia fatò extinctus est, capite per carnificis ensem decussus.

Fuit utique parens iste crudelissimus latro, quis dubitet incidit in saevissimum latronem filia, qui eam vitam & fatis spoliavit. Debebat haec filia se patri suo fortiter opponere & ante milles mori, quam votis ejus annutum dare, id quod S. Virgo & Martyr Dymna generose praestitit, cum à proprio patre ad simile scelus succenderetur. Inde ad oculum quoque patescit, quantum in pravis etiam hominibus rea conscientia operetur; in sandapilae obtutu praecordia tangat. Hoc clarescit, quam nihil sit occultum, quod non in apricum Dei summi Providentia educat. Ah! si nec parentibus in carnalibus desideriis fides haberi potest, quanto periculosius fuerit

cum aliis familiaritatem contraxisse. Caveant singuli hos latrones, qui nos per crapulam & foetentem luxuriam vitā privare ambiunt temporanea & sempiterna, cujus jacturam a nobis clemens Deus avertat! Amen.



CONCIO XXXVIII.  
DOMINICA XIII. POST  
PENTEC.

*Ite ostendite vos Sacerdotibus. Luc. 17.*

Defectus Restitutionis æternū noxius.

**E**M AA. iptum Christi præceptum de auriculari Confessione ritè coram Vicario ejus expedienda! *ite & ostendite vos Sacerdotibus*; his tanquam spiritualibus Medicis animæ jacentis vulnera maturè curanda exhibete. Sic sumi vult præfatas voces

D. P. Bonav. (1) *in hoc mandato instruit Dominus Sacerdotale officium omnibus esse reverendum, & ad curationem peccatorum esse necessarium.* Necessarium vocat, quia miserii peccatores alio medio nisi Sacræ Confessionis juvari non possunt, siquidem ea in viribus sit humanis, quibus sublatis certum est piam voluntatem à Clementissimo Deo ipso pro opere reputari. Hæc causa fuit, cur olim Constantinus Imperator omnes querelas scripto libello conclusas, & contra Ven. Clerum Cæsari oblatas publicis ignibus exuri vellet Imperator; æquum enim non est, inquiebat Cæsar, ut per nos illi judicentur, quorum judicio omnes hodie mortales, etiam Coronati Principes subjacemus. Alludit pientissimus Cæsar ad Sacerrimum Confessionis Tribunal, ubi Sacerdotes sedent tanquam

(1) S. Bonav. Ser. 4. in Dom. 18. post Pent.

A. Christus præcipit auriculari Confessionem.

Zz

Judi